



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et  
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.  
Canonum Ordinarii Professoris**

**Laymann, Paul**

**Dilingæ, 1666**

Titvlvs XXII. De Officio Archidiaconi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62559](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62559)

# TITVLVS XXIII.

## DE OFFICIO ARCHIDIACONI.

**S**uperioribus Titulis generatim actum fuit de Ecclesie Ministris, quos ordinare, & instituere ad Episcopos pertinet. sequitur, ut in specie dicatur de quibusdam dignitatibus, personis & officijs Ecclesiasticis: Et primo de officio Archidiaconi, qui secundum pristinam consuetudinem, primam post Episcopum in Ecclesijs dignitatem obtinet, vti constat ex c. ad hanc, hoc tit.

### CAPITVLVM I

#### Vt Archidiaconus.

##### PARAPHRASIS.

Archidiaconi officium in eo consistit, quod sit Vicarius Episcopi in omnibus (quod intelligitur in temporalium, tum spiritualium rerum administratione) ideoque cura vniuersi Cleri tam in ciuitate Episcopali, quam in Parochijs habet. Et saltem tertio quoque anno, si Episcopus ipsemet non potest, diocesim visitare debet, & quae emendanda sunt, tanquam Episcopi vicem gerens corrigere.

##### SUMMARIVM.

1. Archidiaconi officium in primitiua Ecclesia erat, imperare Diaconis & Subdiaconis, eos ad altaris ministerium instruere, & bona Ecclesiae administrare ac dispensare.
2. Eius officium nunc sumendum potius ex cuiusque ecclesiae consuetudine & Statutis, quam iuris scriptis.
3. Differt ab officio Generalis Vicarii in duobus.
4. Archidiaconus secundum ius commune

- & seclusis particularium ecclesiarum consuetudinibus, preferendus est Praeposito & Decano, seu Archipresbytero.
5. Dignitas Vicarii Generalis absolute minor censetur, quam aliae quaedam ecclesiae Cathedralis dignitates, qualis est Archidiaconi.
  6. Episcopus per seipsum vel Vicarium Generalem, aliumve quotannis visitet diocesim, vel si ob latitudinem uno anno non potest, saltem biennio visitatio absoluitur.
  7. Visitatores praeter procuraciones, hoc est, victualia moderata sibi, ac suis necessariis nihil omnino exigere aut accipere debent.

**S**ciendum est primo: Archidiaconus, vti nomen ipsum indicat, est diaconorum Princeps, seu primus Diaconus, eius, secundum pristinam consuetudinem, magna in Ecclesia Romana dignitas fuit. Quia enim Diaconi Episcopo proximè assistebant in sacrificio, eumque perpetuo comitabantur, ideò ipsis quoque dispensatio, & administratio patrimonij Ecclesiastici commissa fuit, vti colligitur ex c. 6. Actor. vbi Ioannes Lorinus legi potest, ver. 3. Quare in primitiua Ecclesia Archidiaconi officium erat, tum Diaconis, & hypodiaconis omnibus imperare, eosque ad altaris ministerium instruere, tum verò bona Ecclesiastica administrare, ac dispensare. Progressu autem temporis Archidiaconi potestas maior euasit, ut Vicarius Episcopi in omnibus esset, totique clero imperaret. Videri potest Azor to. 2. hb. 3. c. 12.

Sciendum est secundo: Archidiaconi officium, ac potestas neque olim fuit, neque nunc est eadem in omnibus Ecclesijs: quare rectè hinc notauit Innocent. Syl. ver. Archidiaconus n. 1. Si cognoscere velimus Archidiaconi officium, potius inspiciendam esse

Bbbb 3      cuius-

cuiusque ecclesie consuetudinem, aut statutum, quam iura scripta. Nam in quibusdam Ecclesijs Archidiaconus nullus est: sed eius officium, quod hic describitur, vel Archipresbyter seu Decanus praestat, vel generalis Episcopi Vicarius, seu Officialis: In quibusdam vero Ecclesijs Archidiaconus quidem est, sed tantum praesentiam inter Canonicos habet, nullam vero iurisdictionem, vel administrationem. Qua de re Azor loco cit. q. 6.

3 Nunc QUERITUR primo: Quomodo Archidiaconi officium hoc e. descriptum differat ab officio generalis Vicarij, de quo lib. 6. decret. tit. 13. lib. 1. Respondeo, his modis differre. I. Archidiaconus ipso iure est Vicarius Episcopi; cum officium Vicariatus eius dignitati annexum sit, ideoque auferri ei non potest: Sed Vicarius ab homine, videl. Episcopo, tamen secundum institutionem & auctoritatem canonum instituitur, & ad libitum eius amoveri potest. Aliter dici potest, quod Archidiaconus sit Vicarius natus, intitulatus & perpetuus: Officialis autem sit Vicarius factus, non intitulatus, ac temporalis. Videri potest Butrio c. ad haec, hoc tit. Iacobus Sbrozjus de Vicario Episc. lib. 1. q. 3. n. 15. Hostiensis tit. de officio delegati, n. 2. Vbi doctè distinguit, quod Archidiaconi iurisdicção ordinaria directè proveniat à lege, indirectè autem ab homine, v. g. Episcopo instituente Archidiaconum, nam per consequentiam tribuit ei potestatem ordinariam Vicariatus. At vero Vicarij Generalis seu Officialis iurisdicção (quæ & ipsa ordinaria est, vt infra dicam tit. 28.) directè provenit ab Episcopo creante & instituente Vicarium; indirectè vero à lege seu canone. Quia canon auctoritatem dat Vicarium generalem instituendi: nam alioquin nemo Principe inferior officium aut iurisdictionem suam iure ordinario exercendam committere potest. docent DD. in l. penult. ff. de iudicijs, Robertus Marunta de ordine iudiciorum p. 4. n. 52.

Alterum discrimen. Ab Archidiacono ad Episcopum appellari potest, e. referente, de praebend. Sed à Vicario Generali seu

Officiali ad Episcopum appellari nequit, e. 2. de consuet. in 6. Is enim Episcopi tribunali seu consistorio praestat: Sed Archidiaconus propriam, eamque subordinatam Episcopo iurisdictionem habet. Quemadmodum & à Principum Vicarijs, atque vrbium praefectis appellare licet, vt Gl. notavit in l. 1. C. de officio Vicarij, Tuschus ver. Vicarius, concl. 482. n. 20.

QUERITUR secundò: Vtrum Archidiaconus Vicarij generali, item Archipresbytero, Praeposito, seu Decano praerendus sit. Hanc quaest. tractat Sbrozjus lib. 2. q. 25. Respondeo; Si de dignitate Archidiaconi secundum ius commune, & seclusis particulibus Ecclesiarum consuetudinibus, loquamur, certum est, Praeposito, & Decano seu Archipresbytero, praerendum esse Archidiaconum; quippe cui omnis totius cleri cura commissa est, c. ad haec, 7. hoc tit.

Neque obstat, quod absurdum videatur, Diaconum presbytero praereri: non enim praeretur ordinis ratione, sed ob maiorem iurisdictionem, & administrationem. Quo simili modo Cardinalium dignitas maior censetur quam Episcoporum, quia illi proximè assistentes lateri S. Pontificis, eius negotia curant, vt bene annotavit Tuschus cit. loc. n. 15. Sic etiam olim in quavis Ecclesia Cathedrali septem Diaconi constituebantur, vt Episcopo adessent, eiusque negotia procurarent, vt habetur in can. 15. Concil. Neocaesariensis, relato in c. Diaconi, d. 93. Qui proinde presbyteris quippe sacra tractantibus, in externa gubernatione praeponebantur, maxime illorum Princeps, siue Archidiaconus. Nihilominus cum diuina mysteria agerentur in ecclesia, presbyteros sequi debebant. Fuit autem ob eam rem tempore Anastasij I. circa annum Christi 400. grauis contentio orta inter Diaconos & Presbyteros: Dum enim illi, ob commissam sibi administrationem, superbià elati presbyteros contempserent: hi autem se fortiter oppoerent, ac dicerent, secundum consuetudinem Ecclesiae Romanae ad eos Presbyteros Diaconis praereri, vt illis stantibus presbyteri ad diuina officia

officia sedere possint: eousque per contentionem progressi fuerunt, vt neque Euangelium coram populo legentibus Diaconis, Presbyteri à sede sua exurgere vellēt. Contra quos statutum edidit idem Anastasius, vbi habetur in Pontificali libro: *Constituitur vt quatuor Euangelia recitarentur, sacerdotes non sederent, sed turui starent.* Legauntur, quæ scribit S. Hieron. epist. 85. ad Euagr. relatus in c. legimus, 24. d. 93. & Baron. Ann. 462. n. 42.

Quod ad alterum attinet, Canonistæ quidam, inter quos Felinus in rubr. de maior. & obed. n. 10. Tuschus cit. concl. 482. n. 21. aiunt, absurdum & stultum videri, si Archidiaconus præcedere velit Episcopi Vicarium; cum eius tribunal inferius sit, & subiectum Consistorio Episcopali, cui præest Vicarius Generalis, seu Officialis. Sed de facto in pluribus Ecclesijs contrarium obseruatur, vt Vicarius generalis seu Officialis sequatur Ecclesiæ Cathedralis Archidiaconum, Præpositum, & Decanum; quin imò aliquibus locis omnes Ecclesiæ Cathedralis Canonicos. Talem autem consuetudinem damnare difficile est. Accedit, quòd in c. ad hæc, 7. expressè habetur, quòd secundùm Romani Ordinis constitutionē, Archidiaconus maior post Episcopum, eiusdem Episcopi Vicarius existat. Quare respondetur ad objectionem; Consideratione diuersarum causarum, & locorum, eandem personam eidem anteferri & postponi, vt constat ex l. i. C. de officio Vicarij, vbi dicitur, in causis ciuilibus atque iudicijs Vicarios Comitibus militarijs anteposendos esse, sed in rebus militarijs postponendos: Ita dico de Vicario; Licet is in tribunali suo, quatenus Episcopi ibi vices actualiter gerit, superior sit, siue iurisdictionem in alios omnes clericos, etiam Archidiaconum, exerceat (cum nullus subditus Episcopo eius tribunal declinare possit) tamen extra tribunal suum, vt in ecclesia, in processionibus, alijsque conuentibus postponi potest, ita vt, absolutè loquendo, dignitas Vicarij generalis minor censeatur, quam alia quedam Ecclesiæ Cathedralis dignitas.

Denique quod attinet ad diœcesis visitationem, de qua in fine huius c. mentio fit, seruari nunc debet constitutio Trident. sess. 24. c. 3. de reform. Vt Episcopus per seipsum, vel, si impeditus sit, per Vicarium generalē, aliumue Visitatorem diœcesin quotannis visitet. Quòd si ob latitudinem vno anno tota visitari non possit, saltem biennio visitatio absoluat. Quòd si Archidiaconi, aliæque inferiores ius visitandi per Ecclesiæ consuetudinem habeant, tum visitationis suæ rationem Episcopo intra mensem reddere cogantur: & eo non obstante, Episcopus aut visitator eius visitationem instituere potest. Porro visitatores, præter victualia moderata sibi ac suis necessaria (quæ procuraciones vocantur c. procuraciones, 23. de censibus, c. felicitis, 3. eod. in 6.) nihil omnino exigere aut accipere debent.

## CAPITVLVM II.

### Officium.

AD officium Archidiaconi pertinet Diaconos, aliòsque Ministros inferiores ad altaris ministerium instruere; præcipere, quis Diaconorum Euangelium (si ipsemet non voluerit) legere, aut cantare debeat. Vide c. 1. d. 25. & quæ dicta sunt c. præced.

## CAPITVLVM III.

### Ea quæ.

CUm Archidiacono custodia rerum Ecclesiasticarum præcipue commissa sit, ideo si quid per culpam vel fraudē cuiuspiam perierit, ab ipso repetetur. Ita Gregorius I. regit. 1. epist. 10. ad Fortunatum Diaconum.

NOTANDVM Vn. Supremus rerum Ecclesiæ Custos tenetur non tantum ex culpa propria, lata aut leui; sed etiam ex culpa aut dolo inferiorum, v. g. si sacristæ culpa aliquid perierit. Id verò intelligi debet, si ipse Superior negligentæ argui potest, quòd inferioribus non attenderit, vt hic Anton. docet n. 1. Sed prius obligatur inferior, qui perdidit.

didit, aut destruxit; & in defectum eius Superior, cui ex officio incumberebat impedire, iuxta ea quæ dixi lib. 3. Th. mor. tr. 2. c. 6.

## Archidiaconis.

## CAPITVLVM IV.

## Cum satis,

## PARAPHRASIS.

Non valet consuetudo, vt Archidiaconus curata beneficia conferat, sine Episcopi consensu.

## SUMMARIUM.

*Consuetudine introduci non potest, vt in ecclesijs Episcopo subiectis Ministri curati sine eiusdem approbatione instituantur.*

**NOTANDVM Vn.** Consuetudine introduci non potest, vt in Ecclesijs Episcopo subiectis Ministri curati sine eiusdem approbatione instituantur. Ita intelligit Anton. hic, & Azor tom. 1. lib. 5. c. 19. §. consuetudo item, & consentit Syn. Trid. sess. 7. c. 13. de reformat. Nam consuetudo, quæ Ecclesijs perniciofa est, præualere non potest: Eset autem Ecclesijs perniciosum, si sine cognitione ac consensu supremi in diocesi pastoris, videl. Episcopi, inferiores curati instituerentur. Accedit, quod Episcopus curam parochiarum sibi subiectarum deponere non possit, sed prouidere debeat, vt populus in spiritualibus bene pascatur, sacra legitime administrantur, iuxta c. regenda, & seqq. causa 10. q. 1. Id autem curare non potest, nisi sciat, quinam & quales curati præfiantur. Interim fatemur, quod inferiores Prælati per consuetudinem acquirere possint ius instituendi, etiam ad curata beneficia, sed non sine examine, & approbatione Episcopi, vt constat ex c. ad hæc, 7. hoc tit. Eodémque modo intelligi debent, quæ Innocent. docet super hoc c.

\* \* \*

**S**pectata Ecclesiastica institutione, non videtur Archidiaconis concessum, in aliquem sententiam excommunicationis promulgare, nisi Episcopi accesserit auctoritas.

Contra hoc Alexandri III. responsum obijcitur c. dudum, 54. de elect. & c. 1. de eo qui furtiuè, & c. quibus habetur, quod Archidiaconus possit excommunicare. Idque fatentur DD. in c. cum ab Ecclesiarum, 3. de off. Iudic. Ordinarij. Et constat ex eo, quia Archidiaconus spectato communi iure, habet ordinariam fori externi iurisdictionem in alios clericos, c. 1. & c. ad hæc hoc tit. ad hæc autem iurisdictionem pertinet præcipere, & inobedientes pœnis ac censuris coercere, vt dixi lib. 1. Th. mor. tr. 5. p. 1. c. 3. all. Resp. Rectè dixisse Alexandrum Papam, spectata Archidiaconi institutione, non competere ipsi potestatem excommunicandi; cum curam animarum non habet, sed vt Minister & custos Episcopo adiunctus est: Quam obrem Diaconi oculi Episcopi appellantur, c. Diaconi, 11. d. 93. c. ad hæc, hoc tit. eisdemque rerum Ecclesiasticarum custodia, & administratio credita est. Sed progrediente tempore Archidiacono maior potestas, atque iurisdictione commissa fuit; non tamen in omnibus Ecclesijs, sed in Ecclesia Romana, quam quædam aliæ imitatz sunt, Ecclesijs. Quare tota hæc res ex cuiusque Ecclesie consuetudine pendet. Lege c. legimus, 24. d. 93.

## CAPITVLVM VI.

## Mandamus.

**A**rchidiaconus non nisi semel Ecclesiam Archidiaconatus sui visitare debet; nisi causa specialis emerferit, ob quam sæpius visitari debeant.

**NOTANDVM Vn.** Prælati Ecclesias suas singulis annis, non sæpius, visitare debent.

bent, c. relato, 9. & seqq. causa 10. q. 1. Sin tamen causa postulet, bis visitare potest, sicuti de Episcopo habetur in c. cum venerabili, 2. i. iun. Gl. ver. bis in anno, imò quoties ipsi videbitur, secundum Trident. sess. 6. c. 4. de reformat. Videri potest Azor tom. 2. lib. 3. c. 40.

## CAPITVLVM VII.

Ad hæc.

**A**D officium Archidiaconi (secundum Ecclesie Romanæ consuetudinem) pertinet Leuitijs, & hypodiaconis imperare; curam parochiarum gerere; aded, vt & Archipresbyteri, qui & Decani appellantur, eius iurisdictioni subsint. Sed ardua, seu maiora negotia ad maiorem se, videl. Episcopum referre debet. Sed & Clericorum ordinandorum examinatio, atque institutio ad eundem Archidiaconum spectat; ita tamen, vt prius Episcopo præsententur, ab eoque approbentur.

Idemque dicendum de Decanis ruralibus, ab Archidiacono instituendos, amouendosque esse; sed non sine Episcopi consensu. Nam quod omnes tangit, ab omnibus approbari debet: Decani autem illi rurales subsunt tum Archidiacono, tum etiam Episcopo: Ergo eorum institutio, & destitutio ad vtrumque pertinere debet.

Hoc est præcipuum huius tit. c. Sed quia eius materia satis explicata est, c. 1. 4. & 5. hic nihil adijcio. Legi potest c. 1. d. 24. & c. Legimus, 24. d. 93.

## CAPITVLVM VIII.

Significasti.

## PARAPHRASIS.

Archidiaconus sine consensu Episcopi literas dimissorias dare non potest. Sed neque Clerici freti talibus literis absque Episcopi licentia datis ordines accipere possunt; alioquin ab executione ordinum

prohiberi possunt. Ratio responsi est: quia per literas dimissorias derogatur iuri Episcopali, quod habet ad ordinandos Clericos sibi subiectos: Ergo præter eius consensum dimissoriæ dari non possunt. Quæ ipsa causa est, cur vacante Sede, Capitulum dimissorias concedere non possit. Quia iura Episcopalia successori reseruare debet.

## SUMMARIVM.

*Dimissoria sine consensu Episcopi ab Archidiacono vel Vicario Generali data, pro non datis haberi debent.*

**N**OTANDVM Vn. Si dimissoriæ sine consensu Episcopi ab Archidiacono, vel Vicario Generali datae sint, pro non datis haberi debent: ita vt pœnæ & inhabilitates incurrantur, de quibus dixi in c. 2. de temp. Ordinat. & in 6. Vtrum verò in absentia Episcopi Archidiaconus dimissorias dare possit, ex consuetudine cuiusque Ecclesie petendum est, vt Gl. hic notat ver. literas. Vide quæ dicta sunt in c. 3. de tempore ordinat. in 6.

## CAPITVLVM IX.

Vt nostrum.

**S**pectato communi iure, ad Archidiaconum pertinet, ad Ordines promouendos examinare, & Episcopo præsentare; Abbates, & Abbatissas instituere.

Intellige hæc cum dependentia ab Episcopo: Quia is curam Ecclesiarum sibi à sacris canonibus & Sede Apostolica commissam à se deponere nec debet, nec potest, vt dixi supra c. cum satis, 4. hoc tit.

## CAPITVLVM VI.

Dilecto.

## PARAPHRASIS.

Archidiaconus Senonensis querelam detulit ad Honorium III. contra Abbatem.

Cccc &amp;

& Conuentum Monasterij S. Petri Senonensis, quod procuracionem annuam sibi ratione uisitationis debitam denegaret. Eam causam Papa quibusdam Abbatibus delegauit. Coram his comparens Archidiaconus petijt, vt, cum Monasterium intra fines Archidiaconatus sui situm sit, Abbas & Monachi suæ iurisdictioni, correctioni, & uisitationi subiacerent; salua suâ Regulâ, & obedientiâ, quam Abbati suo debent. Petijt quoque, vt qui in districtu Senonensi existunt, (præter ipsum Archiepiscopum & familiarem eius) in prima instantia coram ipso Archidiacono, non coram Officiali dicti Archiepiscopi conueniri debeant.

## S V M M A R I V M.

1. Archidiaconus habet iurisdictionem ordinariam inferiorem, & Episcopali Consistorio subordinatam. Unde ab eo ad Episcopum appellari potest.
2. Archidiaconus in Monasteria iurisdictionem non habet; licet sita sint intra fines suos, nisi legitime præscripserit.

**NOTANDVM I.** Si libellus formetur contra Monasterium circa iura eius, tam Abbas, quam Conuentus in eo exprimi debet.

**NOTANDVM II.** In quibusdam diocæsis Archidiaconus iurisdictionem exercet in clericos & parochias ciuitatis Episcopalis, ac certum districtum adiacentem. Qui fines Archidiaconatus dicuntur, uti uidere est in Augustana Synodo sub Ottone Cardinale & Episcopo, c. 7. Quibusdâ uero locis non vnus tantum, sed plures Archidiaconi constituti sunt, qui partes diocæsis ueluti regiunculas subiectas sibi habeant, tanquam Vicarij Episcopi ratione dignitatis suæ constituti.

**NOTANDVM III.** Archidiaconus habet iurisdictionem ordinariam inferiorem, & Episcopali Consistorio subordinatam. Quare licet causæ iudiciales Clericorum ad ipsum in prima instantia deferendæ sint,

tanquam ordinarium pastorem; tamen ab eo tribunali appellari potest ad Episcopum, seu Officiale eius, argum. c. irrefragabili, 13. §. excessus, de offic. Ordinarij.

Dicit aliquis: Igitur Archidiaconus intentionem suam fundatam habuit, quando ostendit, Monasterium intra fines Archidiaconatus sui situm fuisse: cum ipse, spectato communi iure, omnem curam totius cleri habeat, c. 1. c. ad hæc, hoc tit. Cur itaque adactus fuit ad ostendendam iurisdictionem suæ præscriptionem, alioquin à petitione sua repellendus? Respondit cum Innoc. hic. Si Episcopus hanc petitionem seu libellum porrexisset, ostendendo Monasterium intra fines suæ diocæses situm esse, fundatam habuisset intentionem, & in petitorio obtinisset, uti constat ex causa 18. q. 2. c. si quis Abbas 15. & seq. nisi Monasterium uel priuilegio, uel præscripta consuetudine exemptionem ostendere posset, c. cum venerabilis, 7. de Religiof. domibus. Sed alia ratio est de Archidiacono: Licet enim cura totius cleri ipsi commissa sit, tamen hoc nomine non ueniunt Religiosi, aus Monasteria, ob Regulam communiter traditam: Quod in materia odiosa, aut præiudicante appellationis Cleri Regulares non comprehendantur.

Est itaque **IV** Notandum: Archidiaconus in monasteria sita intra fines suos iurisdictionem non habet, nisi eam per diuturnam consuetudinem legitime præscripserit. Sed & ratio est, cur Religiosi Archidiacono subesse non debeant. Quia præter Episcopum, ordinarius eorum Prælati sunt Abbas, seu Præpositus Regularis. Igitur consentaneum non est, ut alium adhuc Ordinarium habeat.

Id porro difficultatem habet, quod Honorius hic respondit: Si appareat, consuetudinem fuisse, ut Archidiaconus, aut antecessores eius, in Monasterium istud, uel in alia eiusmodi Monasteria iurisdictionem exerceret, in ea saltem iurisdictione, quam erga dictum Monasterium præscripserit, confirmandum esse. Nam huic responsioni obicit, quod præscriptio non sit extendenda ultra locum uel personas, uti docet Abb. in c. cum locum, n. ult. de præscript. Fieret autem ex-

centio

tenio, si ex eo, quod Archidiaconus consuetudine diuturna iurisdictionem in Monasteria quaedam intra fines Archidiaconatus sita acquisisset, inde inferre licet, etiam in hoc Monasterium, quod eius iurisdictionem forte nunquam agnouit, aut admisit, ius aliquid competere. Multa hic dicunt Innocentius, & Antonius de Butrio. Breuiter respondeo: Si Archidiaconus in nouem v. g. Monasteria Ordinis S. Benedicti intra districtum suum posita iurisdictionem consuetudine diuturna compararit, iuris praesumptionem esse, quod etiam in decimum Mo-

nasterium eiusdem qualitatis, & inter eodem fines iurisdictionem habeat: cum de similibus idem ius ceteri debeat, arg. c. cognouimus, 29. q. 2. causa 2. Verum contra hanc iuris praesumptionem admittitur probatio in contrarium: si nimirum Monasterium illud decimum ostendat, quod Archidiaconus iurisdictionem in ipse non exercuerit, vel, etsi voluerit exercere, tamen admissus non fuerit: hoc casu obitare ipsis non debet, quod in alia similia Monasteria iurisdictionem consuetudine compararit, seu praescripserit.

## TITVLVS XXIV. DE OFFICIO ARCHIPRESBYTERI.

### CAPITVLVM I.

#### Vt Archipresbyter.

##### SUMMARIVM.

1. Archipresbyter praest reliquis presbyteris, *szrbanus est, seu Ecclesie Cathedralis Decanus.*
2. Alij Archipresbyteri sunt, qui Decani & Vicarij rurales seu foranei vocantur, hi delegatam iurisdictionem, & penitus dependentem ab Ordinario habent.

1. Archipresbyter subest Archidiacono, tanquam vicem Episcopi gerenti. Imperat reliquis presbyteris, quorum veluti Dux, seu Decanus est; absente Episcopo Missarum solemnia celebrat, collectam dicit, vel alij dicendam mandat. Ita Isidorus Hispalensis relatus in c. 1. d. 25.

Est autem hic sermo de Archipresbytero ciuitatis, seu ecclesiae Cathedralis Decano.

2. Praeter hunc autem alij sunt presbyteri, seu

Decani rurales, vti Gl. annotauit in c. vlt. hoc tit. Idemque Vicarij rurales, seu foranei appellatur in Clem. 2. de rescript. De ijs communiter docent DD. cum Gl. ibid. yer. foraneo, quod habeant iurisdictionem delegatam, & omnimode dependentem ab Ordinario, a quo arbitrato ipsius deponi possint. Caeterum pluribus Ecclesijs fiunt Decani, seu Vicarij rurales per electionem Capituli ruralis, & ab Episcopo vel Officiali, seu Generali Vicario confirmantur: Ita vt officium & iurisdictionem quandam ordinariam habeant subordinatam Episcopali, iuxta doctrinam Innocent. in c. cum ab Ecclesiarum, 3. de offic. Ordinar. Quamobrem nec priuari seu deponi ab officio possunt, nisi ob crimen mereantur, sicuti dixi lib. 1. Th. mor. tr. 4. c. 7. n. 20.

### CAPITVLVM II.

#### Ministerium.

Archipresbyter curam habere debet, vt Sacerdotes Cardinales, (id est, qui parochijs

Cccc 2 rochijs